

mentem evertit : eosque vir cum femina habi-
tans, in insaniam concupiscentiae mulierem impel-
lit : eosque potest mulier cum viro contubernium
habens, vel Dei ipsius memorie oblivionem induce-
re. Fcessamus ab gehenna, et igne sempiterno !
Ut quid spirantes adhuc vosmet ipsi in orcum hor-
ribilemque tartarum defoditis ? Qui contubernalis
habetis et cum illis conversamini, dediscite hanc
malam doctrinam, quae interitum propinat, et sa-
lutem prodit. Imitemur apostolos ; imitemur pro-
phetas, et per vestigia corum incedamns, nec nos
decipiatur feminina esca. Nos ipsi rursus, ne mulie-
rem quasi esca in fraudem inducamus ob inanem
gloriam, et superstitionem humilitatem. Sed om-
nia secundum veram solidamque humilitatem so-
brie a nobis peragantur in Christo , ut possimus
liberari a præsenti tempore malo, juxta voluntatem
Patris, et Domini nostri Jesu Christi Filii ejus uni-
geniti : per quem et cum quo gloria, imperium,
honor invisibili Patri cum sancto et paracleto Spi-
ritu, nunc, et in omnia sæcula sæculorum. Amen.

A συσκηνῶν πρὸς μαντίν ἐπιθυμίας ἔγει τὴν γυναικα-
τοσοῦτον ἴσχύει γυνὴ ἀνδρὶ συνοικουσα, καὶ τῆς τοῦ
Θεοῦ μνήμης λήθην ἐμποιῆσαι. Ἐξελάσωμεν ἑαυ-
τοὺς ἀπὸ γεέννης καὶ πυρὸς αἰωνίου. Τι! ζῶντες ἑαυ-
τοὺς εἰς φόδην καὶ φοβερὸν τάρταρον κατορύσσετε; Οἱ
τὰς συνεισάκτους ἔχοντες, καὶ αὐταῖς συνοικοῦντες,
ἀπομάθετε τὸ κακὸν μάθημα, τὸ τῆς ἀπωλείας πρό-
ξενον, καὶ τὸ τῆς σωτηρίας προδοτικόν. Μιμησώμεθα
τοὺς ἀποστόλους, μιμησώμεθα τοὺς προφήτας, καὶ
καὶ ὕγνος αὐτῶν βαίνωμεν, καὶ μὴ ἡμᾶς ἀπατάω
τὸ τῆς γυναικὸς δέλεαρ· μηδὲ πάλιν γυναικαὶ ἡμεῖς
αὐτοὶ δελεάζωμεν διὰ τῆς κενοδοξίας, καὶ ἐθελοταπει-
νοφροσύνης· ἀλλὰ πάντα κατὰ ἀληθινὴν καὶ βεβαιαν
ταπεινοφροσύνην σωφρόνως ὑφ' ἡμῶν πραττέσθω
ἐν Χριστῷ, ἵνα δυνηθῶμεν ῥυσθῆναι ἐκ τοῦ ἐνεστῶ-
τος καὶ ροῦ πονηροῦ, κατὰ τὸ θέλημα τοῦ Πατρὸς
ἡμῶν, καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ μονογενοῦς αὐ-
τοῦ Γίος, δι' οὗ καὶ μεθ' αὐτῷ δέξα, χράτος, τιμῆς τῷ
ἀοράτῳ Πατρὶ σὺν ἁγίῳ καὶ παρακλήτῳ Πνεύματι,
νῦν καὶ εἰς τοὺς σύμπαντας αἰῶνας τῶν αἰώνων.
Αμήν.

S. BASILII MAGNI⁶⁸⁷

RATIONES SYLLOGISTICÆ CONTRA ARIANOS,

Quod Filius in divinis sit Deus (86)

(Interprete Francisco Turriano, S. J. — AD. CANIS., *Lectiones antiquæ*, ed. Basnagii,
tom. I, p. 169.)

I. Si Filius est natura Deus, et Pater est natura
Deus, non est alius Deus Filius, alius vero Deus
Pater. Sin autem non est natura Deus Filius : Deus
dicitur, sicut qui falso dicuntur dii, et non est Deus.

II. Si unus Dominus Filius natura, Dominus au-
tem etiam Pater natura, manifestum est quod non
alia natura. Quod si unus Deus Pater, dicitur au-
tem Deus etiam Filius, non alia natura, sed una.

III. Si unus Dominus natura, cum multi θεοί,
hoc est, positione seu adoptione vocentur domini,
et unus Filius natura, cum multi nominentur filii,
qui vocatur positione dominus vel filius ad imitationem ejus, qui natura, vocatur : positione enim
nihil dicetur, nisi antecedat, quod natura. Si igitur
nos sumus filii Dei θεοί, id est, adoptione, necesse
est prius esse natura Filium.

IV. Quæ vere sunt omnina substantiæ, ea notæ
sunt eorum, quorum sunt nomina. Proprie autem
et vere Pater est Deus et Filius et Spiritus sanctus:
eadem igitur substantia sicut et nomina.

V. Si non est generationis unigenitum, sed pro-
pter incomparabilem excellentiam est unigenitus,

C Pater etiam est unigenitus, quia incomparabilis est,
et omnis creatura non similis, sed dissimilis erit
unigenita, multi igitur unigeniti erunt sicut Filius
est Dei unigenitus.

VI. Filius non simpliciter est unigenitus, sed a
Patre unigenitus ; Filius igitur unigenitus est, et
non creatura unigenita.

VII. Si κατὰ μετάβασιν, id est dimissionem, et
permissum Patris, et non secundum naturam creat
Filius, nihil aliud quam minor creaturis ab ipso
factis, etiam secundum naturam est ; quorum enim
non est creator secundum naturam, quomodo creata
secundum naturam ?

VIII. Si Deus operatur, sicut nullus alius, et ge-
nerans, sicut nullus alius generabit ; Deus enim in
omnibus, et ad omnia est incomparabilis ut Deus.

D IX. Quod fit, non est ex substantia facientis ; quod
generatur ex substantia generantis est : non est
igitur idem facere et gignere.

X. Si Filius est ex Deo, non est autem tanquam ex
Patre, sed tanquam ex causa, causa autem ut simus
etiam nos, Deus est, ex ipso enim sunt omnia ; non

(86) Illa argumenta non digessit ipse Basilius, sed ex ipsius operibus ducta sunt et in ordinem
redacta B A N.

igitur aliter Pater Filii, et aliter noster, sed potius A similiter; et quomodo non est hoc absurdum?

XI. Si nihil est simile et æquale Deo præter Fi- lium, et non est Filius, neque Deo, neque creaturis erit similis.

XII. Quod est in forma Dei, in substantia Dei est; non enim est aliud forma, et aliud substantia Dei, ne compositus sit. Igitur qui est secundum formam æqualis, et secundum substantiam erit.

XIII. Si genitus minor est eo, qui genuit, non est accusandus, qui genitus est; infirmitas autem est genitoris, aut enim invidens, non fecit æqualem, aut quia non potuit, non genuit similem.

XIV. Si Pater ante Filium erat, omnino Pater alterius erat; sine Filio enim non diceretur Pater.

XV. Si qui Filium cognovit secundum substan- B tiam, cognovit etiam Patrem, *Si me enim, inquit, cognosceretis, et Patrem meum cognosceretis*⁶². Igi- tur ὁμοόγονος est Patri Filius; nihil enim incorpo- reum ex dissimili substantia cognosci potest.

XVI. Si credere Christum esse Filium Dei habet vitam, non credere necessario habet mortem.

XVII. Quorum sunt eadem ἐνέργεια, id est ope- rations, horum etiam substantia una: operatio autem Patris et Filii una, ut illud: *Faciamus hominem*⁶³; et rursus: *Quæ faciet Pater, hæc et Filius similiter facit*⁶⁴; una igitur substantia Patris et Filii.

XVIII. Si cognitione Patris et Filii vita æterna est, necesse est unius etiam naturæ esse; quæ enim diversæ substantiæ sunt, non una cognitione perci- piuntur, neque similiter vivificare possunt.

XIX. Si imago Patris vere est Filius, omnis au- tem imago vel substantiæ est, vel formæ, vel figuræ vel speciei, vel coloris imago: Deus autem in nullo horum est, sed in substantia solum: Filius igitur cum sit imago substantiæ, ejusdem substantiæ est cum Patre.

XX. Si Pater omnino non potest conferri cum Filio, in omnibus autem etiam conferri non potest cum creatura; non aliter cum Filio, aliter autem cum creatura, sed similiter; non igitur est dissimilis Patri, sed et similis creaturæ et quomodo non est hoc absurdum?

XXI. Si cum dicunt Filium esse creaturam, non tanquam unam ex creaturis dicunt, quare cum nos dicimus esse γέννημα, id est germanum, tanquam unum ex germinibus intelligunt?

XXII. Si non gignit Deus, ne fluxionem subeat, neque κτίζει, id est, creat, sive facit, ne defatigetur; sin autem creat nihil patiendo, multo magis nihil patiendo gignit.

XXIII. Si sicut splendor ex omni lumine genera- tur, sic ex Patre quidem, lumine autem non quan- doque, sed sine intercapidine temporis, et coæterne cum illo, non enim est lumen sine splendore; Filius

igitur, cum sit splendor Patris, non aliquando, sed coæternus est: cum sit Deus et Pater lumen, sicut ait David: *In lumine tuo videbimus lumen*⁶⁵; et Da- niel: *Et lumen ipsius est*⁶⁶; et Apostolus: *Qui cum sit splendor gloriæ*⁶⁷, etc.

XXIV. Si germen substantia est, ipsorum opi- nione sicut ingenitum; germen autem Dei est Fi- lius; est igitur substantia Dei.

XXV. Si voluntate, non natura Deus Filium ge- nuit, vel cum voluit semel, deinceps non potuit velle, vel iterum voluit, et iterum genuit. Si autem non est una voluntas ejus, sed diversa, non est simplex; nec unius auctor, sed, ut vult, facit.

XXVI. Si Deus non generat, aut quia non potest omnino, aut quia non vult; sed si quidem non po- test, non solum non potest, sed superat eum ge- nerativa et perfecta natura; infirmior, inquam, est, quam natura generans et perfecta. Sin autem cum alioqui posset, noluit tamen; quod natura po- tuit, voluntate cohibuit. Quare etsi nondum genuit, igitur volens generabit aliquando.

XXVII. Si aliquando non fuit Filius, ipsum illud, aliquando, erit post illum, qui generavit, non au- tem antequam genitus sit; non igitur ante omnia Filius sine Patre, sed post illud, aliquando, repe- rietur: et quomodo non hoc absurdum est?

XXVIII. Cum nos dicimus Patrem semper, ne- cesse est etiam semper esse Filium. Aiunt illi: Igitur quia semper est Filius, Creator et creatio semper, atque ita erit creatio coæterna Patri et Fi- lio. At qui dicit Creatorem, non simul dicit crea- tionem: non enim cum ædificatore simul est ædi- ficium, neque cum opifice navigi simulest navigium. Creatio enim in creatore est: quod autem creatur, post creatorem est: patrem autem dicere, non po- sito filio, impossibile est: et qui patrem dixit, non simpliciter dixit, sed alicujus patrem dixit.

C XXIX. Deus et Dominus, et omnipotens, et Sa- baoth et Adonai, et Eloi dicitur in Scripturis Deus, ingenitus vero nequaquam. Si quis vero hoc con- cedet, ut ingenitus, et aliis nominibus propositis dicatur, accommodabit hæc Judæis, et omnibus; solis vero Christianis accommodabit dicere Patrem Christi. Si igitur quod solum nos ab aliis separat, falsum est, et non verum; et nomen est Θεός, id est, positione, et non res natura, falsa est fides, D vana est spes. Cujus enim principium est infir- sum, etiam finis est debilis.

XXX. Rursus interrogant Ariani: Exsistensne, an non exsistens genitus est Filius? Obscura et rudis interrogatio; quia enim pudet interrogare quando, et in tempore **688** dicunt τὸ ὄν, id est, exsistens. Vicis- sim igitur interrogandi sunt: Exsistensne Deus Pater Filium genuit, an non exsistens Pater? Si enim exsistens Pater, exsistenter genuit: sin vero non exsistens, genitus, et non natura Pater est.

⁶² Joan. xiv, 7. ⁶³ Gen. i, 26. ⁶⁴ Joan. v, 19. ⁶⁵ Psal. xxxvi, 9. ⁶⁶ Dan. ii, 22. ⁶⁷ Hebr. I, 3.

Omnem autem contentionem excludunt divinæ Scripturæ, cum Moyses clare dicat: *Qui est, misit me⁶⁸*; et Evangelium: *In principio erat Verbum⁶⁹*; et non semel erat, sed quater. Et rursus alias: *Qui est ex Deo⁷⁰*; et: *Qui est in sinu Patris⁷¹*; et in alio loco: *Qui est in cœlo⁷²*; et in Apocalypsi: *Qui est, et qui erat, et qui venturus est⁷³*; et beatus Paulus: *Qui est splendor gloriae⁷⁴*; et: *Cum in forma Dei esset⁷⁵*; et iterum de Filio: *Qui est super omnia Deus, qui est benedictus in sæcula. Amen⁷⁶*.

XXXI. Si verus est Deus, et lumen, et immutabilis, et bonus, et sanctus, et Dominus, et Filius, hæc autem cum Pater etiam sit, non similiter est hæc, sed μετόνομος, id est magis; erit ergo talis non propter substantiæ præstantiam et excellentiam, sed qualitatis exsuperationem; substantia enim non dicitur magis, aut minus alia substantia; bonus vero bono, et justus justo magis dicitur: igitur eorum qui geniti sunt, eadem est natura cuius est qui genuit, etsi aliter genitus habeat τὸ εἶναι. nec enim Abel qui ex conjugione viri et mulieris genitus est, diversæ naturæ fuit quam Adam qui non est genitus, sed formatus.

XXXII. Si quod est causa, est majus et differens substantia ab eo, cuius causa est; omnis autem pater est causa, et omnis filius est ex causa: patres igitur majores et differentes substantia sunt a filiis, et non unius substantiæ: at non est verum hoc.

XXXIII. Interrogant Ariani, an Pater, generato Filio, desierit generare; si respondeatur desiisse, inferunt, cœpisse igitur generare; omne enim quod

A finem habet, inquiunt, etiam habet principium. Quibus respondebimus, si necesse est, quod desinit, principium habere; et quod principium habet, necesse item habere finem. Igitur angeli et omnia incorporeæ, quæ cœperunt esse, necesse est desinere esse: at hoc absurdum est. Potest igitur quod cœpit esse, non desinere, et quod desinit, non cœpisse. Quod si non: ipse etiam Filius, si principium habet, et finem habebit, ipsorum opinione.

XXXIV. Eadem est natura eorum, quæ genita sunt, et generantis, quamvis aliter cœperit esse, qui genitus est; non enim Abel natus ex conjugione, alia natura fuit præter naturam Adæ non generati, sed formati.

XXXV. Quod in incorporeis est unum operatione et voluntate, dicitur substantia unum. Salvator cum dixit: *Ego et Pater unum sumus⁷⁷*, uno quopiam eorum, quæ ante scripta sunt, dixit. Igitur si operatione unum dicunt, necesse est, substantia unum dicant; eorum enim, quæ sunt diversæ substantiæ, nunquam erit operatio similis: sin autem voluntate unum, non solum quæcumque Pater vult, necesse est et Filium velle; sed etiam quæcumque Filius vult, necesse est et Patrem velle. Jubebit ergo Filius Patri, de quibus vult, et de quibus jubetur; sin autem solum jubetur, coactus, et non volens ministrat. Si vero neque voluntate, nec operatione sunt unum, sequitur ipsorum opinione, esse unum substantia, id est, ὁμοούσιον Patrem, et Filium, quod ipsi dicunt, impossibile esse.

Ejusdem S. Basilii contra Eunomium,

Quod ingenitum non substantiam, sed ὑπάρχειν, id est existentiam, declarat.

I. Si ingenitum est substantia, et genitum est substantia, et idcirco non sunt ejusdem substantiæ Pater et Filius, necesse est penitus omnia genita unius substantiæ esse. Sunt igitur genita ὁμοούσια, id est, ejusdem substantiæ cum Filio Dei; et quo-

C modo non est blasphemum?

II. Si ingenitum πρὸς τὸν γεννητὸν υἱὸν ἀντιδιαστελλόμενον est substantia, et increatum πρὸς τὴν κτίσιν ἀντιδιαστελλόμενον substantia est; est igitur ingenitum substantia et increata.

Cetera desunt.

⁶⁸ Exod. III, 14. ⁶⁹ Joan. I, 4. ⁷⁰ Joan. VIII, 47. ⁷¹ Joan. I, 18. ⁷² Joan. III, 13. ⁷³ Apoc. I, 4.
⁷⁴ Hebr. I, 3. ⁷⁵ Philipp. II, 6. ⁷⁶ Rom. IX, 5. ⁷⁷ Joan. X, 30.

EXPOSITIO SS. PP. NN.

MAGNI BASILII ET GREGORII THEOLOGI,

De sancta et orthodoxa fide.

689 Credo in Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, Trinitatem ὁμοούσιον, inseparatam, indivisam, inconfusam, et incomprehensam unam naturam, et substantiam, et regnum, tres personas. Si autem interrogeris, quid declarant personæ, sive

D hypostases, respondebis, quod personas interpretamur mentem, verbum, et spiritum. Mens generat verbum, et verbum sine spiritu non egreditur; in eo enim agnoscitur Deus vivere, quod generat verbum ἀπαθῶς. Quod si vis exemplis clarius hoc

discere, audi : Homo habet mentem, et verbum insitum, sive naturale et spiritum vitalem : egrediens verbum ab homine facit voluntatem ejus, et ab ipso non separatur : sic et Deus Verbum genitus a Patre sine tempore fecit quæcunque voluit Pater tanquam ὥμοούσιος illi, et ab ipso non est separatus ; aut, sicut sol est circulus, et habet medium lumen, et ex lumine procedit radius ; et neque unus homo dicitur tres homines, quia sit mens, et verbum, et spiritus ; neque unus sol tres soles, quia sit circulus, et lumen, et radius ; sed potius unus homo, et unus sol ; sic unus Deus est, id est, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, tres unus, et unus tres indivise, et inconfuse. Hæc est autem indivisibilitas, quod Filius non separatur a Patre, sicut neque ab homine separatur verbum, λόγος, sive ratio ; aut a sole lumen. Et ut lumen egrediens ex sole illuminat mundum, sic unigenitus Filius et Verbum non separatus a Patre operatus est admirabilia opera, cœlum, et terram, et quæcunque in eis sunt : item opus incarnationis supra omnia admirabile ; manens enim in Patre, nec separatus ab eo Deus Verbum divino condescensu venit ad nos, et salvavit Israel, et gentes secundum veras promissiones Dei, quas lex et prophetæ prædicarunt, et doctrina apostolorum et sanctorum Patrum tradidit. Inconfusio autem est hæc, primum quidem, quia Pater non est Filius, neque unquam erit, neque Filius Pater, neque Spiritus sanctus est Filius, vel Pater, quoniam proprietas cujusque personæ sanctæ, et beatæ Trinitatis immota manet, et servatur, id est, in Patre quidem proprietas ingeniti, in Filio autem proprietas geniti, quoniam genitus est a Patre sine tempore, sicut lumen a sole. Simul enim Pater, simul Filius, simul Spiritus sanctus, servata immota cujusque personæ proprietate. Ac de divina quidem et immortali natura sic sentimus ; non enim dicimus, ut fatui gentiles, solem esse Deum, sed tanquam imaginem assimilamus incircumscripe et incomprehense, quoniam Deus est infinitus, et a nemine potest comprehendendi. Illud autem dicitur comprehendendi non posse, quod experientia cognitionis non potest percipi, ut est divinitas proprie, ut ex universa Scriptura didicimus tum vetere, tum nova : nullus enim a sæculo sanctorum potuit dicere, quæ substantia sit Deus ; tametsi insanus Eutolmius hoc ausus est nugari, qui non solum a sanctis doctoribus redarguitur, sed ab ipsa natura et consequentia.

De Incarnatione vero confitemur Dominum nostrum Jesum Christum unum ex indivisa, atque inconfusa Trinitate duas naturas, et duas energias, duasque naturales voluntates habere, et Mariam Virginem, quæ eum peperit, proprie, et vere Dei matrem esse ; neque **690** posse explicari modum Incarnationis præter hoc solum, quod ex Virgine natus est per Spiritum sanctum ; Pater enim misit

A Filium salvatorem mundi ; Filius autem unigenitus, et Dei verbum beneplacito Patris, et propria voluntate, et Spiritus sancti cooperatione carnem sumpsit mente, et anima, ac ratione præditam, et univit eam cum propria sua persona divina ; non enim Pater incarnatus est, neque Spiritus sanctus, sed Verbum, et Filius Dei in propria persona, qui deificavit genus hominum. Caro alioqui corruptibilis, quam sumpsit Dominus noster Jesus Christus, incorrupta mansit per mortem crucis, et resurrectionem ; etsi enim cibum gustavit post resurrectionem, non tamen lege corporis, sed œconomice, ut probaret carnem illam esse, quæ erat ante resurrectionem, et non aliam ; non enim in ventrem, et intestina, atque in secessum ibat, absit ! Imo caro divina post resurrectionem mutata est a materiali in immateriali, et a passibili in impassibilem ; non tamen incircumscripsum, aut intangibilem, vel invisibilem, alioqui quomodo visus esset discipulis post resurrectionem ? Quomodo dixisset Thomæ : Tange me ⁷⁸ ? Cibus vero, quem sumpsit coram discipulis, si quis querat, quo abierit, respondemus, sicuti cera appropinquans igni liquefit, et desinit esse ; sic cibus ille adhibitus carni incorruptibili et πυρφόρῳ Dei resuscitati. Post resurrectionem vero conversatus spatio quadraginta dierum cum discipulis, *assump*
B *tus est in cælum videntibus illis*, ut Evangelium testatur, et sedit ad dexteram Dei ⁷⁹. Sedere autem ad dexteram Dei non declarat aliquid corporeum ; Deus enim corporis, et figuræ, et speciei expers est ; sed potius honorem, et gloriam in cœlis significat ; hanc enim habuit assumptus in cœlum homo Dei, id est, caro sumpta : illic enim sancta ejus anima conversationis suæ in terra recordatur, estque rationalis, et intelligens. Insunt præterea sancto corpori ejus suæ proprietates naturales, ut triplex dimensio longitudinis, latitudinis, et profunditatis ; item species, qualitas, et quantitas, et alia hujusmodi ; non enim amisit hæc assumptus Christus. Non ergo locum habet hic fabula Manichæorum, qui aiunt, quod assumptus Christus in sole posuit suum corpus, et Deus nudus ascendit : id autem stulte probant auctoritate David dicentis : *In sole posuit tabernaculum suum* ⁸⁰. Quibus nos responderemus : O insani, et vani ! non appellat Propheta tabernaculum solis carnem a Verbo Dei sumptam ; quæ cum ipso Filio Dei in cœlum ascendit, sed potius tabernaculum solis appellat speciem, et qualitatem orbis solaris, id est, lumen, quod quarto die Deus mundi fabricator in eo posuit : non enim Propheta loquebatur hic de assumptione, sed de creaturis Dei, quemadmodum perpetuo gloriam Dei narrent. Postea vero veniet in novissimo die resurrectionis omnium, quando tuba canet magno clangore, et tanquam ex somno surgent omnes, et aderit Judex animalium justorum et peccatorum, sive ad-

⁷⁸ Joan. xx, 27. ⁷⁹ Marc. xvi, 19 ; Act. i, 9. ⁸⁰ Psal. xviii, 6.